

Christoph Redecker

**Programma, Quo Viri Maxime Reverendi, Nobilissimi, Atq[ue] Excellentissimi Dni.  
Michaelis Siricii, S.S. Theol. Doctoris ac Prof. Publ. ... Superintendentis ...  
Consiliarii ... Consistorii Ducalis Adsessoris Gravissimi, Funus Güstrovi[i] Hodie  
VIII. Septembris Solemnissime Deducendum**

Rostochi[i]: Wepplingius, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774759135>

Druck    Freier  Zugang



**R**edecker, Chr.,

in

**M. S i r i c i u s ,**

ed. I. 1685,

ed. II. 1686.

**R**ostock.

7.







# PROGRAMMA,

VIRI

MAXIME REVERENDI, NOBILIS-  
SIMI, ATQ; EXCELLENTISSIMI

# DNI. MICHAE- LIS SIRICII,

S.S. THEOL. DOCTORIS AC PROF. PUBL.

CELEBERRIMI, DIOCESEOS ROSTOCHIENSIS SUPERINTEN-  
DENTIS VIGILANTISSIMI, CONSILIARII ECCLESIASTICE  
DIGNISSIMI, CONSISTORII DUCALIS ADSESSORIS

GRAVISSIMI,

FUNUS GÜSTROVI HODIE VIII. SEPTEMBRIS

SOLEMNISSE DEDUCENDUM,

PUBLICITÙS INTIMAT

# CHRISTOPHORUS REDEKER. D.

& p. t.

ACADEMIÆ RECTOR.



ROSTOCHI,

TYPIS JOH. WEPPLINGII, UNIV. TIPOGR. 1686.

av 7.



Vod illis evenire  
solet, qvibus turbulen-  
ta tempestas, in scopulos &  
vasto mari repente exurgens,  
præsentissimum minatur nau-  
fragium, ut, præ subitâ istâ ca-  
lamitate, quæ metum ipsum  
prævertit, & prudentiam o-  
mnem occupat, non vocem, sed ipsum adeò sen-  
sum perdant; Id mihi evenit hâc luce ferali, quâ  
**GRANDE ECCLESIAE DECUS, SERENISSIMI**  
**DUCIS DELICIUM, ORBISq; LITERATI INSIG-  
NNE ORNAMENTUM: MICHAELEM SIRICI-**  
UM nobis perqvâm ærumnosô excessu ereptum  
ac humanis rebus sublatum esse publicè significare  
cogor. Sensus attonitos nimia præpedit ægritudo,  
& calamum scripturientem parum sibi constantem  
redit mæroris reputatio; ut is ipse tantâ affectu-  
um importunitate tremulus, nil præter singultus,  
gemitus & suspiria proferre valeat. Graviore hanc  
esse

esse jubet tristitiam pallida PRUDENTISSIMÆ  
CONJUGIS frons, qvæ fortunatissima hactenus,  
nunc demum, suópte Judicio, infelicissimæ, amatæ  
Conjugis obitum amarissimè atq; insolabiliter de-  
flet, & carissimos sibi cineres perpetuô lachryma-  
rū imbre irrigat. In stuporem me conjicit superstes  
utriusque sexus flebilis PROLES, quæ in tam subi-  
tâ consternatione attonita acerbô immanis dolo-  
ris sensu penè exanimatur. Et utinam! dolor  
iste acerbissimus hosce tantum animos rangeret,  
eum quodammodo verbis exprimi posse crede-  
rem; Ast cum præter hos, Aulam quoq; Illustris-  
simam, Almam Academiam, & Orthodoxum  
Christianorum Cœtum suâ magnitudine impleat,  
qualem in publico pariter ac privato luctu con-  
cinnare addeceat sermonem, animo vix occurrit.  
Celeberrimum naturæ æmulum Timanthes,  
quando dirum Iphigeniæ sacrificium referre de-  
beret, Agamemnonis caput involvendo summi  
mœroris acerbitatè arte exprimi non posse con-  
fessum fuisse, monumentis annalium mandatum  
est. Hujus optimò jure ego Imitator esse pos-  
sem, qui superstites MAGNI SIRICII virtutes,  
extra laudis nostræ terminum constitutas, Pro-  
grammate quôdam delineare in animum induxi.  
Et ingratum omnino atq; impium videri posset,

A 2

si tan-

stante virtutes, quarum non sine admiratione  
meminisse, nec sine impietatis notâ oblitisci li-  
cet, posthumâ laude defraudare. Menan-  
dro Optimo Bactrorum Regi in castris mortuo  
honorificè in Civitatibus omnibus parentatum est:  
de Reliquiis ipsius autem adeò pugnatum, ut vix  
hâc conditione pax steterit, ut singulæ civitates,  
parte æquali cinerum ejus ablata, monumentum  
ei statuerent. Eâdem laude inclaruit Ægyptio-  
rum pariter & Romanorum in honorandis Magna-  
tum exeqviis religio, nefas putantium, si non pe-  
rennem illorum memoriam, quorum merita de  
Republîca egregia existerent, reverenter habe-  
rent, nec illum, cuius ope, fide, & consilio sus-  
fulta esset Patria, publicis panegyricis, Mauso-  
læis, pyramidibus, obeliscis, & aliorum gene-  
rum monumentis, æternis virtutum indicibus  
honorarent. Quare & ego pietatis officiis esse  
mei crediderim **SIRICIANAS VIRTUTES**,  
qvas semper sancte colui, humili licet ac sub-  
missô scribendi genere, aliquatenus adumbrare.  
Si Grayissimorum Virorum monumenta evolva-  
mus, si fastos temporum indices consulamus, ve-  
nerandam Antiquitatem à natalium & Patriæ  
Splendore haud mediocre Venerationis argumen-  
tum cepisse videmus, adeò ut mutuos Patriæ ti-  
tulos

tulos illis tribueret, qvi obscurioris Originis es-  
sent; è contrario propriis virtutibus nientes Pa-  
triæ gloriam æternum propagarent. Quantum  
Roma sibi de suis Cæsaribus, Augustis, Metellis,  
Curiis gratulata sit; quantum Carthago de Han-  
nibale, quantum Athenæ de suò Miltiade, Cimo-  
ne, Themistocle gavisæ fuerint, illis notum  
est, qvi antiquitatem explorarunt; Verùm quid  
peregrinis immoror; Habet & Inlyta Lubeca, in  
qvo cum vetustis illis comparari possit, qvæ suæ, &  
aliorum Celebratissimorum Virorum, & NO-  
STRI SIRICII laude celebrari meretur, qvippe  
illa magis à NOSTRO quam NOSTER ab illâ  
inclaruit. Quemadmodum Colonus non solum  
terræ felicitatem, cui insita arbor est, explorat;  
sed & stirpem, ex qvâ fructus futuros præfigire  
solet, investigat: Ita ego qvoq; non laude Patriæ,  
qvæ BEATISSIMO NOSTRO incunabula præ-  
buit, contentus sum; sed & celebritatem SIRICI;  
ANÆ stirpis aggrediar, eamque propter incom-  
parabilem fructum, qvem & Ecclesiæ, & Prin-  
cipibus, & Academiis, & probis omnibus suppe-  
ditavit, venerabor. Liceat mihi laudabi-  
li Christianorum instituto egregias Majorum  
NOSTRI MAGNI SIRICII virtutes etumua-  
lis suis excitatas paucis repræsentare. Patrem  
habuit

habuit Virum admodum Reverendum & Clarissimum Dnm. MICHAELEM SIRICUM, Philo-  
phie Magistrum Excellentissimum, Pastorem præcipue,  
qua Lubece est, Ecclesia quondam vigilantissimum;  
Matrem vero salutavit AGNETAM REUTERI-  
AM Matronam, cum viveret, omnibus sexus sui vir-  
tutibus insignem. Avum paternum laudavit  
MICHAELEM SIRICUM, Civem suæ patriæ  
spectatissimum; Aviam vero ejusdem lineæ MAG-  
DALENAM BECKERS, fæminam nulli secun-  
dam. Avus maternus fuit Vir Amplissimus  
& Prudentissimus, Dominus GERHARDUS  
REUTERUS, Senator apud Lubecenses lauda-  
tissimus, cuius conjux ELISABETHA MILLIES,  
Fæminarum Decus & Ornamentum. Si ergo  
certam à natalibus spem capere licet, quid quæso  
non poterat ex tam bonis, tamq; p;is Majoribus  
sperari? Est enim quædam divinior p;is insita ani-  
mis virtus, quæ ad Majorum similitudinem proba-  
cujusq; Indoles fertur, quæ per venas instillata la-  
ete quæsi materno imbibitur. Postquam ergo an-  
no hujus seculi 28. die 21. Decembris hac luce frui  
cœpisset NOSTER SIRCIUS, & per sacrum  
divinæ aquæ fontem ab ingenitâ labe purgatus,  
Ecclesiaz Christi, extra quam nulla salus, inser-  
sus esset, præcipua fuit Parentum cura, quam  
natura,

natura & pietas ipsis injecterat, quia ratione  
subsecuturis annis bene vivere posset probat In-  
dolis filius. Noverant enim Optimi Parentes ho-  
minem nasci solidæ ac salutaris cognitionis omni-  
no expertem, ut in ejusdem animo deinde, ve-  
luti in rasa quadam tabula, institutio ac doctrina  
optimarum artium & scientiarum depingat ima-  
gines, & morum documenta inscribat educatio.  
Urta mox ab ipso partu informem factum, dum  
mollis adhuc est, circumlambendo perficit &  
membra effingit, omnem alias perditura operam,  
si indurescere sineret. Erant igitur Parentes BE.  
**ATI NOSTRI** maximè solliciti, ut recens na-  
tum bonæ submitterent informationi, atq[ue] non  
Proletarios cultores, aut rigidos Orbilios; sed ma-  
gistros insignes tenerrimam mentem artibus ac  
scientiis Reipublicæ, Ecclesiæ, & Patriæ profuturi  
imbuentes adsciscerent. Curæ ac solicitudini re-  
sponderunt fertilissima virtutum Seminaria, Scho-  
la nimirum Lubecensis, & Pædagogium, quod  
tunc temporis apud Sedinenses erat illustrē.  
Nactus igitur **BEATVS NOSTER** bonos  
studiorum suorum moderatores mentem omni-  
um disciplinarum capacem, magnò cum animi pro-  
lubiō, studiis mancipavit humanioribus; Qvo-  
rum cum tyrocinia fideliter imbibisset, & solida  
corum

orum fundamenta jecisset, Sacro Sanctæ Theologiz studio totum se dedit. Nam non sibi, sed Ecclsiæ se natum, & publicæ saluti destinatum esse sciebat. Olim magnâ in laude positum fuit Athenis, Alexandriæ, Romæ, sub hōc vel illō præceptore studuisse: cum & Cicero communis Eloqventiz parens in Philosophiâ Philonis, in Eloqventiâ Molonis Rhodii, in Jure scævolæ opera se usum fuisse s̄epe gloriatus sit, qvanti obsecro estimandum est MAGNUM NOSTRUM SIRICLUM tot tantorumque apud diversas Academias Virorum, Lipsiæ Excellentissimi Hulsemanni, Wittebergæ Acutissimi Scharfii, Helmstadij Dissertissimorum Theologorum Discipulum fuisse, discendi, legendi, audiendi, cupidum, fidelem obsequientem? Quid mirum igitur quod intra biennium vitæ Academicæ pulpta sub præsidio Excellentissimi Scharfii ascendens Disputationem de Sacra Scripturâ satis piè, satisque eruditè elaboratam, non sine Eruditissimorum singulari approbatione, defenderit? Eminebat jam tum in illo naturalis qvædam egregiæ indolis vis, ad summa qvæque nata, præludebat juventa futuræ magnitudini, qvam sacri laboris de sacra scripturâ acrothinia amplissimè pollicebantur. Annò hujus seculi qvingvagesimo septimo in Academia Giesensis

sensi, (ad qvam se anno quinquagesimo primō contulerat, & per sexennium tantā cum solertia ibidem commoratus erat, ut etiam ii, qvi diu magnā cum laude docuerant, eum discendi animo convenirent), Disputationem pro obtinendis honoribus non sine applausu habuit, & honores meritis dignos reverenter petiit. Impetravit facile, qvam petierat, Doctoralem Dignitatem, optabilem qvidem & honorificam; attamen & onerosam multisqve curis obnoxiam. Cadunt in eam virtutes omnes, atque ita cadunt, ut, si absint, ea, quæ dignitas est, dignitas esse desinat, vel sit etiam summa deformitas. Sunt autem Doctoris Theologiae virtutes præclaræ, MAGNO SIRICIO dignæ, æternâqve cum gloriâ conjunctæ ve-  
luti: Pietatem præcipue colere, excubare animo pro salute ac Dignitate Ecclesiæ, liberalitatem sine spe præmiorum exercere, nihil omnino facere, nihil cogitare, in quo statim Decus non eluceat. Quæ verò Virtus, quæ SIRICIO OPTIMO non erat propria? Nam ut à cultu divini Numinis, fundamentum omnium virtutum firmissimō, principium ducam, : Nullum BEATUS NOSTER diem abire passus est, quô non ardētissimis precibus Sanctissimum Numen pro incolūmitate Ecclesiæ, & omnium ejus membrorum

B

salute

salute supplex invocabat. Singulare ejus erat  
studium conservandæ veræ Religionis, & ad-  
versus eos, qui illam ullâ ex parte labefactare  
conarentur, implacabile ejus odium semper elu-  
cebat; Cum illis perpetuum bellum gerens, ne  
punctum quidem temporis in vitâ ab iis ad fa-  
niorem mentem reducendis conquiescebat. In-  
flammabat animum ipsius Zelus Ecclesiaz, neq;e  
quisquam unquam verius idem qvod olim David  
dicere potuit: Nonne eos, qui oderunt te Domine,  
oderam, **E** super tuos inimicos tabesceram,? Profet-  
etò odio oderam illos. Non tam encum Timone,  
Nerone, aut Diogene exuebat animum placidum  
atq;e affabilem, abhorrebat à Catonis vultu, ne-  
minem aut aspectu, aut colloquio suo arcebat,  
nihil justa petentibus denegabat, si qvid negare  
cogebatur, eâ utebatur lenitate sermonis, ut eos,  
qvibus negabat, æq;os à se placatosq;e dimit-  
teret. Et ut pâucis multa comprehendam, non  
solum Aristidem, & Canutum justitiâ, Lycurgum  
fide, Catonem Prudentiâ; sed omnia omnium  
æstatum nomina virtutibus omnibus superavit.  
Nactus est exinde tantarum virtutum optimos  
æstimatores, Viros Principes & qvos ad gubernâ-  
cula evectos venerari licet, Dynastas; siq;videm  
vix disputationem inauguralem d. 26. Februarii  
anno

anno hujus seculi quinquagesimo septimo habuerat, cum illi SERENISSIMUS HASSIAE LANDGRAVIUS extraordinariæ Theologieæ professoris munus in Academiâ Giessena clementissime offerret. Cui muneri tam solerter, tam eruditè præfuit, ut vix anni spatio elapsò eminentissimis virtutibus, quibus tanquam penetrantissimis radiis totum Landgraviatum impleverat, ad ordinariam historiæ Ecclesiasticæ Professionem, & Ecclesiasticam functionem iter sibi sterneret. Singularis eruditio non permittebat, ut LAUDES SIRICIANÆ occultarentur, aut cancellis quasi includerentur, Nominis ejus gloria ad Principum, & Regum faventes pervolabat aures, quorum quisque sibi tantum nostræ Religionis Atlantem animatus exoptabat. Stada, quæ Regimini Svecici in Episcopatu Bremensi sedes est, attalicis conditionibus DEFUNCTUM movere, & ad se vocare laborabat; Sed frustra. Gratia quippe SERENISSIMI LANDGRAVII DEFUNCTUM NON STRUM omnibus Theologis anteponens benigna abituriensi injiciebat retinacula, nec facile dimisura fuisset; nisi SERENISSIMUS CELSIS SIMUSQUE PRINCEPS AC DOMINUS, DOMINUS GUSTAVUS ADOLPHUS &c. DOMINUS NOSTER LONGE CLEMENTISSIMUS VIRI

B 2

ani-

animūm conciliasset, & savitate innatā eō permovisset, ut, Gieſſe valedicens, SERENISSIMO DUCI à concionibus aulicis se futurum anno 70. die 28. Octobr. fisteret. Nihil durante hoc mune-re omisit eorum, qvæ à piō insimul & eruditō exigi poterant Sacerdote. Vita ejus adeo erat in-culpata, adeo honestis moribus accommodata, ut vivum auditoribus suis vivendi esset exemplar; In cathedra non rixas inutiles, ut multi, qui culices excolant & Camelos deglutiunt, ciebat; sed ex sententia Chrysostomi: *benè i i endo, & benè docendo*, populum instruebat. Hinc gratia SERENISSIMI PRINCIPIS DOMINI NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI altiores egit radices & indies crevit, adeo ut Professionem Theologicam in hac Universitate, Ephoriam Dioce-sieos Rostochiensis & Assessoratum Consistorii in DEFUNCTUM anno 76. clementissimè deferret. Non tamē succubuit sub onere multiplici VIRI virtus, sed qvō magis premebatur, eō magis ut palma, vires & augmentum capiebat, & intimius in MAXIME PII PRINCIPIS gratiam se insinuabat. Hęc non permittebat, ut hęc nobiscum ex votis nostris viveret, sed Gustrovii detineretur VIR RELIGIOSISSIMUS, Pietati SERENISSIMI PRINCIPIS velificaturus, quo- usqve vita & vires permetterent. Non quoqve jam præ-

prætereundum est tacitè Matrimonium NOSTRI  
DEFUNCTI : Elegit rerum domesticarum Soci-  
am: Virginem ANNAM JULIANAM, Viri Specta-  
tissimi & integerrimi ADAMI FORTHENII Civis  
& Mercatoris qvondam apud Francofurientes ad  
Mœnum primarii, filiam natu majorem. Cujus si-  
ve ortus splendorem, sive Indolis præstantiam, si-  
ve morum venustatem, & vitæ sanctimoniam, si-  
ve reliqvas dotes sexù hoc apprimè dignas intuea-  
ris, ornatissimam, lectissimam, eamque die 27. Ju-  
nii anno hujus seculi 59. domum duxit. Didice-  
rat enim ex sacris literis & ex Patrum Ecclesiæ  
monumentis: Clericum illæsâ cōscientiâ Conjugem  
non primâ tantum; sed alterâ quoque vice duce-  
re posse, prout peculiari *de Episcopo Dentero-*  
*gamo* opusculô eruditè orbi literato exposuit.  
Fuit felix, fuit fausta, & decimâ sobole beata hæc  
prima maritalis copula, tribus nimirum filiis, &  
septem filiabus in apricum productis. Harum  
tres ex hac mortalitate, inverso naturæ ordine,  
ante parentes discesserunt; superstites autem li-  
beri, qui anno hujus seculi septuagesimo septimo  
MATRIS obitum acerbissimè tulerat, jam DEFUN-  
CTUM PATREM mœstissimè pariter lugent. Natu-  
major filius est ERNESTUS GERHARDUS, Phi-  
losophiaæ Magister Dignissimus, & Theologiaæ, re-

B 3

liqua-

liqvarumq; paternarum virtutum strenuus imitator; Secundò genitus JOHANNES, Medicinæ sedulam navat operam, naturamq; rerum absconditarum diligentissimè investigat; Minimus filiorum, GUSTAVUS ADOLPHUS humanioribus non sine laude incumbit literis. Prima filiarum ANNA LUDOVICA CATHARINA, Viro plurimum Reverendo, & Excellentissimo, DN. NICOLAUS DASSOVIO, S. S. Theol. Licentiatu, & Professori Gryphisvaldensi Meritissimo, in matrimonium data est. Reliqvæ filiæ, utope: AGNETA CATHARINA, DRUIDA LUCRETIA, & SOPHIA CATHARINA, licet per ætatis culpam doloris gravitatem nec dum penitus capiant, cum cæteris tamen fratribus & sororibus, udis oculis, & lamentationibus, sibi dulcissimum Patrem erexit, conqueruntur. Eripuerat, ut audivimus, NOSTRO SIRICIO lex naturæ primam Conjugem, & lætitiaz SIRICIANÆ splendorem in atram converterat tristitiæ caliginem; cum ad secunda vota, tempore luctus elapsò, & urgente rerum domesticarum necessitate, transire cogeretur. Fortunæ igitur domesticæ sociam in posterum elegit ANNAM PLÖNNIES, ex vetustissimâ, & celeberrimâ Plönniorum familiâ ortam fœminam, Defuncti. Viri Consultissimi, & Amplissimi, Domini Licentiati

centiati Samuelis Schützii affinitatis vinculo quondam  
mibi Coniunctissimi, relictam viduam, tamen  
laudatissimam, cum quā, licet sterile, concors ta-  
men ad vitæ finem habuit Conjugium. Unde il-  
la eō impensis qvoqve amaro Mariti desideratis-  
simi funeri indolescit, & cum enormi solaminis  
deliquio conflictatur. Cui, & Liberis ut uberrima  
ex alto gratia succurrat, & laborantes mōrōre spiri-  
tus potentissimè reficiat, intimitus voveo. Ingemiscit  
præterea Eruditiorū Orbis non solum IN COMPA-  
RABILEM THEOLOGUM, sed & DISERTISSI-  
MUM PHILOLOGUM sibi surreptum esse, cujus in-  
gentes animi dotes, & à funere victura Scripta, re-  
verenter usqve habere sedulò annitetur, quoties  
legentium manibus se offerent: *Disputationum*  
*Theologicarum Decas, Tractatus de Simone Mago,*  
*de Ebionitis, de Religione Muscoviticā, de Idolō papa-  
li, de Successione Ecclesiasticā, de lachrymis Christi, de  
uxore unā, de immortalitate animæ, Praco pénitentia.*  
Sperat ille ipse qvoqve qvostdam adhuc quasi in-  
utero latitantes tractatus, nempe de querendâ in  
omnibus gloriâ DEL, *Commentarios in Genesin &*  
*Exodus, partem tertiam de Successione Ecclesiasticā, O-  
stensionem fundamentalē abominationum papatus*  
*circa cultum religiosum, mox lucem visuros esse. Ex*  
*qvibus omnibus luculenter patet, MICHAELEM*  
SI-

SIRICIUM extitisse Virum sine exemplo, & dignissimum, ut diutius SERENISSIMO DUCI, ORTHODOXÆ ECCLESIAE, ALMÆ ACADEMIÆ, REVERENDO CONSISTORIO, rotiqve LITERATO ORBI vivendo prodeisset. Verum caligant proh dolor! jam oculi pro salute Ecclesiæ vigilare soliti; fatiscunt humeri, orbem Christianum sustentare sverti; torpet lingua, qvæ oracula sva debat; obrigescit oris decor, in quo ipsa habitabat Humanitas; procumbit corpus solum mortalitatis domicilium. Nostrum igitur, O CIVES! erit, VIRI OPTIMI ET CELEBERRIMI, mortem acerbius deflere, & cum funus alio loco deductum comitari non possimus; eam tamen, quæ par est, mortalitatis reputatione, proleqvi, ut demum relictò hōc mortalitatis domiciliō VESTIGIA SIRICIANA benè prementes, metam æternæ salutis, quam ILLE beatissimè attigit, attingere pariter ex voto queamus.



Pragmatica



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn774759135/phys\\_0021](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774759135/phys_0021)

DFG








Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn774759135/phys\\_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774759135/phys_0024)



natura & pietas ipsis injec-  
subsecuturis annis bene vivere  
dolis filius. Noverant enim O-  
minem nasci solidæ ac salutaris  
no expertem, ut in ejusdem an-  
lutan rasa quadam tabula, insti-  
optimarum artium & scientiaru-  
gines, & morum documenta i-  
Ursa mox ab ipso partu informa-  
mollis adhuc est, circumla-  
membra effingit, omnem alias  
si indurescere sineret. Erant i-  
**ATI NOSTRI** maximè sollici-  
tum bonæ submitterent informa-  
Proletarios cultores, aut rigidos  
gistros insignes tenerimam m-  
scientiis Reipublicæ, Ecclesiæ, &  
imbuentes adsciscerent. Curæ  
sponderunt fertilissima virtutum  
la nimirum Lubecensis, & Pz  
tunc temporis apud Sedinens  
Nactus igitur **BEATVS** No-  
studiorum suorum moderatore  
um disciplinarum capacem, mag-  
lubiò, studiis mancipavit humi-  
num cum tyrocinia fideliter im-



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 0311

rationē  
obz In-  
entes ho-  
is omni-  
le, ve-  
ctrina,  
gat ima-  
ducatio-  
m, dum  
rficit &  
operam,  
ntes BE.  
cens na-  
qvenon  
sed ma-  
tibus ac  
otuturi  
udini re-  
ia, Scho-  
, quod  
lustre.  
bonos  
n omni-  
imi pro-  
Qvo-  
& solida-  
corum